

17080. 15.
DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICA:

OFFICIA NONNULLA PRAECI-
PIUA, QUAE MEDICI SUNT IN
LECTIS AEGROTANTIUM,
PROFERENS,

QUAM,

UT DIGNITATEM

DOCTORIS MEDICINAE ET ARTIS OBSTETRICIAE

RITE ADSEQUATUR,

CONSENSU AMPLISSIMI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE CAESAREA LITERARUM
DORPATENSI,

DIE XI. JUL. MDCCCIV. LOCO CONSVETO PUBLICE DEFENDET

AUTOR:

OTTO CHRISTIANUS GRIBKO,
RIGENSIS.

DORPATI,

TYPIS J. C. SCHÜNMANNI.
MDCCCXV.



Avunculo suo optimo,

Joanne de Welzien,

Medicinae Doctore, a consiliis status, medico
puerorum nobilium aulicorum,

Ordinis Stae. Annae secundae classis equiti,

has

studiorum academicorum primitias

pia atque gratissima mente

sacras esse voluit

autor.

Imprimatur:

ea quidem sub conditione, ut, simulac dissertatio haec
typis excusa sit et antequam divulgetur, septem exemplaria,
quae secundum jussum supremum distribuenda sunt, admi-
nistrationi Universitatis, cui censura librorum mandata est,
tradantur.

Dorpati, Calendis Aprilis MDCCCXV.

Daniel Georgius Balk,

Medicinae et chirurgiae Doctor, Pathologiae,
Semiotices et Therapiae Professor P. O.,
instituti medico-clinici, instituti, quod asphy-
cticorum curam gerit, nec non collectionis pa-
thologicae Director; a consiliis collegiorum
Russicis etc.

Censor.

D18481

Expedit autem, ut in describendo (ac in cognoscendo) aliquo morbo peculiaribus et perpetua phaenomena seorsim ab accidentalibus et adventitiis investigentur et enarrentur. Nam saepe accidit, ut facies morbi variet pro vario medicandi processu, ac nonnulla symptomata non tam morbo, quam medico debentur; adeo, ut eodem morbo laborantes, sed varia methodo tractatos, varia etiam symptomata exercent. Unde nisi cautela adhibeatur necesse est, ut admodum vagum et incertum sit circa morborum symptomata iudicium.

THOM. SYDENHAM.

In praefatione.

P r a e f a t i o.

Lecturo, quae exstant, omnis aevi omniumque gentium observationes medicas perlustranti, patebit, quid solius naturae viribus peractum fuit medicatricibus, arti esse adscriptum, non semel, sed saepissime, et ea quidem ratione, quod medici morborum secundum leges naturae decurrentium historiam seu imaginem modo omnino ignoraverint, modo saltem non strenui fuerint aequique rei iudices. Vindicem quidem naturae se praebuit cl. Orlay in scripto academico olim hac in Universitate edito (a), quod multis iisque bene meritis laudibus

(a) Diss. inaugural. sistens: doctrinae de virib. naturae medicatricib. histor. brevem, expositionem, vindicias. Dorpati 1807.

nuperrime celebratum est (b); tamen vero multa sunt, quae jure, ut mihi tironi videntur, essent addenda specialia, cum vir laudatus hac de re in genere modo disseruit.

Omnes, qui ad literas colendas incumbunt, summa ope niti decet, ut in vero indagando non aliorum auctoritati omnia tribuant, sed torpore omni excusso, quanta possint, enixissima nervorum contentione res suas agant, nec ad credendum se induci patiantur, nisi veritatis luce affatim illustrati ejusdemque quasi viribus compulsi, ad assentiendum cogantur. Quam quidem viam quisquis non ingreditur, is vero, quod caput in scientiis est, nunquam adsequitur, ejusque cognitio, exsplendescat, quamvis non uno laudis genere, nec tamen splendido scientiae nomine est digna. Aliis enim temere credere, oculis quasi clausis his seducibus committere, a scientiae dignitate quam maxime abhorret. Cognitio enim

(b) Salzburg. medic. chirurg. Zeit. 15 Ergänz. Band. 1812.

specioso scientiae titulo insignienda nec luce, nec ordine, quem ratio adprobat, nec certitudine vacabit. At finge scientiae cultorum, qui non suis, sed alienis videat oculis, cui satis sit, ut centies decantata, ab aliis magni nominis viris tradita, si vel nullo argumento probabili inductus assentiatur, pro veris indubitatisque habeat et, dissentientibus aliis, pro istis tanquam pro aris et focis depugnet; sed rationem reddere jussus eo devolvatur, ut praeter aliorum auctoritatem nihil noverit, quo sententiae suae veri colorem adspergat; quae lux, qui ordo, quae certitudo inerit ejus cognitioni? quantum aberit a scientiae laude? Nisi forte ea cognitio sic erit appellanda, cujus partes male iunctae omni nativo rationisque praeceptis consentaneo ordine destituuntur, in qua tantum non omnia lucis expertia tenebris sunt involuta et quae denique nihil solidi habet subjectum, quo tanquam crepidine nitatur. At vero longe melior et praestantior illi obtinget cognitio, qui, quantum potest, in eo elaborat, ut

suis videat oculis, atque quid verum, quid falsum sit, luculenter perspiciat, omnemque oppositi formidinem a se procul facesere iubeat. Hac enim via, qui ad veri perspicentiam contendit, is quidem omnia, ut par est, a se distinguet, quaecunque cognoscit, luculenter cognoscet, et certa suisque numeris absoluta scientia potietur. Quem quidem scopum, ut ex asse attingat, nihil admittet, nisi rite expositum et definitum fuerit, adeoque definitionum luce potissimum utetur, ad tenebras quascunque disjiciendas. Definitiones enim ubi in subsidium vocantur, confusionsi, quae erroris mater recte adpellatur, obex ponitur, omnia, quae cognoscis, sua luce radiant, conjungenda iustis nexibus cohaerent, disjungenda dirimuntur, nec aditus ad veritatem tibi poterit ulla ratione esse praeclusus.

* * *

De iis, quae medici sunt in lectis aegrotantium, unicum modo adferre sufficiet.

Veram causarum morbi cognitionem sibi comparare adlaboret.

Causa cessante cessare effectum, eademque perseverante illum pariter perseverare, nec tolli unquam, nisi illa prius sublata fuerit, ratio loquitur, experientia quotidiana suffulta. Frequentissima inprimis et planissima hujus veritatis documenta ars medica subministrabit, quoties ad susceptas suscipiendasque aegritudinum curationes attendere et rationalium aequae ac empiricorum medicorum diversas medendi methodos exactius lustrare placet. Solida profecto causarum cognitio, et procurata quoque, per media activa et adaequata, debite quoad indolem et vires explorata et perspecta, ablatio methodica praticos rationales, nisi unice, tamen primario, a perniciosissima empiricorum turba distinguit. Adeoque multum interest, ut suppositae morborum

causae semper veritate nitantur et ubique aetiologiae errores studiose evitentur, ne incassum laboremus, aut, quod subinde metuendum, igni addamus oleum incendiumque subortum magis suscitemus. Optandum modo esset, ut in rationalium scholis nihil amplius circa memorata restaret emendandum! At, si veritas placet aperta, fateri cogimur, hic pariter, uti in singulis scientiis reliquis, erroneas nimisque pro lubitu fictas irrepsisse hypotheses, quae aliquam omnino emendationem postulant. Ejusmodi quippe hypothesis in artis exercitio perquam nocivis tum schola Browniana, tum philosophia infanda recentissimi temporis, medicinam inquinaverunt. Non audeo quidem adserere, majorem medicorum partem opinionibus hisce praebuisse adsensum; cum eorum tamen nonnulli, iidemque magni nominis viri, calculum suum iis adjecerint, querimonias adhuc gerere et errores saepe perniciosos, ni reprehendere, certe tamen modeste indicare licebit. Nulla, me hercule, e re medicina practica cum

aegrotantium salute plus detrimenti ceperunt, ac e praecepto Brownii, quod e potentiarum externarum, in corpus aegrotantis paulo ante ingressum morbi impetum facientium, vi superincitante (s. hyperstheniam movente), aut debilitante (antisthenica), characterem morbi hypersthenicum, vel asthenicum praedicere iubet. Non enim solum Browne, arbitrio perquam dictatorio ductus, sub classe causarum vim partium vitalem absolute debilitantium subsumsit, quae forte illi arriderent, etsi longa, genuina et repetita experientia de eo non esset edoctus, ut semper et undique debilitatem corpori induerent; sed eadem etiam magistra duce scimus, quod causa mere debilitans interdum morbum ciere possit, qui vitalitatis exauctae notam prae se fert. Quae systematis Browniani pudenda cum noxis egregie cl. Hufeland (c) adumbravit. Inflammationes viscerum abdominalium, quin pneumoniam ipsam, plerumque esse asthe-

(c) Bemerkungen über die Brownische Praxis. Tubing. 1799.

nicas Brownio visum est, quia' causis ut plurimum excitantur, quae inter antisthenicas referre jubet. Rebus sic consideratis a venaesectione omnino erit abstinendum, si hypothesi suae album adjicere calculum non denegabis; sed qualem enteritide correpto sortem vaticinari posses, cui, principiis Brownii fretus, sanguinem detrahare nollis! Timor venam secandi improbus, quem schola haec unacum cum secta sororia eorum, qui theoriam incitationis pro vera naturae lege venditant, medicis incussit, plures profecto victimas orco jam praebuit, ac pestes dirissimae; cum sanguis praeter necessitatem effusus vix unquam tanti erit aegrotis damni, ac si illi nimis provide parcere velles, ubi morbi natura et sedes hanc humoris jacturam exposcunt.

Num forte quaereret, quem videlicet circa errorem fallax ista causarum cognitio versetur? communis profecto et omnium frequentissima ratio eo inest, ut medici, simulac modo nota quaedam potentia nocens praegresserit, eam inter et morbum illius

pedissequum indubitatum adesse nexum causalem opinentur et ab ulteriori inquisitione, quasi ea amplius non egerent, prorsus desistant. Quis vero ingenio et intuitu sagaci diligentique phaenomena morborum cum eorum decursu in lectis aegrotantium perspexit, nec non legum naturae, quibus tum in sanitate servanda, tum in procreanda valetudine adversa utitur, strenuus fuit investigator, non facere propterit, quin concedat, ut quaelibet morborum forma, exceptis vix iis, quae e violentia mechanice in corpus humanum agente, nec non a venenis oriebantur, sic et perpaucis affectibus, qui acutissimorum nomine veniunt, reliquae omnes sensim modo sensimque evolvantur, ita ut progressiva virium organicarum a norma sua alienatione causarumque plurimum connubio opus sit, antequam morbus ipse prorsus evolvatur. Quae plerumque a medicis rei suae non diligenter et apte consulentibus phaenomena pathognomonica causae proximae habentur, perquam saepius non sunt, nisi phaenomena effectus morbi

laesarumque functionum. Causa e contrario primaria fere semper valde latet recondita et e tempore longe praeterlapso quaerenda est. Veram igitur morbi originem verasque ejus causas rite elicere ut possis, praecepta sequaris suadeo, quae nobis ad rem facere videntur, quaeque cum lecturis communicare consuluimus.

1) Respiciat medicus oportet ad genium morborum stationarium. Cl. Sydenham (d), longa sagacissimaque observatione morborum edoctus, primus medicos certiores fecit, dari genium stationarium, qui, sensibus patenti aëris mutationi nulla ratione adligatus, per aliquod tempus grassatur, et plerosque alios morbos, maxime febriles, sub jugum suum cogit. Et hanc quidem veritatem, quae maximi ponderis est in exercitio artis felici, vir immortalis memoria dignus iis quidem verbis asserit: „se pro comperto habere ex multiplici accuratissimarum observationum fide, ipsas

(d) Praxis medica experimentalis. Lips. 1695. p. 43. et aliis in locis.

epidemicas morborum species, praesertim febres continuas ita toto, quod ajunt, coelo differre, ut qua methodo currente anno aegrotos liberaveris, eadem ipsa anno iam vertere forsitan e medio tolles.“ Genius iste regens, qui tribus, quatuor aut etiam pluribus annis stationem obtinet, certas quasi aetates decurrit, ut eum nasci, adolescere, consistere, senescere, tandemque emori videre possis. Obscura plerumque sunt subnascentis genii stationarii initia, sagacissimis tantum medicis cognoscenda, utpote praecedentis genii dominatu nondum penitus extincto. At magis evidens altera periodus, augmentum scilicet. „Atrociora sunt omnia symptomata, ait Sydenham (e), ubi primum se ostendit constitutio generalis. Epidemici omnes, ubi primum e naturae sinu emergunt exiliuntque, quantum ex eorum phaenomenis licet conjicere, principio magis spirituoso ac subtili videntur inhaerescere; quam ubi iam magis adole-

(e) l. c. p. 224.

verint, quoque magis ad occasum vergunt, eo magis in dies crassi ac humorales fiunt.“ Verum non sola symptomatum vehementia de novae febris stationariae ingressu nos admonet, sed certum etiam anni tempus prae aliis anni partibus ad detegendam constitutionis stationariae praesentiam magis opportunum est. Aestate nempe atque Julio potissimum mense hanc quaecunque demum illa sit gravissime, saevire atque hujus mensis initio plures hominum catervas simul adgredi, Sydenham (f) asserit. Haec tamen generalis constitutio, ut sensim magis magisque saeviebat, ita quoque, cum ad statum pervenit, iisdem gradibus mitescit tandemque fatiscit. Novus tunc succedit morbus regnans; epidemicorum alter ab altero pellitur; quod autem non ita intelligas, ac si is, qui pellitur et cedit morbus, in solidum evanescat, sed cum phaenomenis succedentis mixtus adparet et rarissime tantum forma sua propria

(f) l. c. p. 238.

singulos adgreditur aegros. En impedimentum diagnoseos curatioris a medico in causarum investigatione festinanti ac laevissimo non facile superandum.

Hinc intelligitur, uti Stoll (g) egregie monet, quo modo varie ludat variosque morbos mentiatur eadem constitutio stationaria, prout variis iisque evidentioribus symptomatibus stipatur, variis annis frequentius, aut majori discrimine grassatur, aut etiam a varia anni crassi aut intenditur aut remittitur. Tunc novam febrium cohortem terris incubuisse saepius clamitatum est, cum novus tantum esset ejusdem morbi lusus. Variationes enim hae omnes ejusmodi sunt naturae eandemque medelam exposcunt. Lex igitur esto practica gravissimi ponderis, ut a characterem morbi stationarii pathologico basis, seu fundamentum methodi medendi, quae morbo cuilibet intercurrenti opponenda est, desumatur. De constitutionis stationariae dic-

(g) Aphorismen üb. d. Erkenntn. und Behandl. d. Fieber. Wien 1787. Aphorism. 32.

taturā argumentis adeo gravissimis persuasus erat Stoll (h), ut occurrentem qualemcunque fere morbum nunquam examinaret, nisi constitutionis generalis genium una contemplaretur videretque, quousque objecta infirmitas ad epidemicae naturam inclinaret. Videamus nunc, quonam potissimum modo in naturam morbi stationarii inquirendum sit. Oportet hic:

a) Initio agere spectatorem, nihilque heroici tentare. Natura tunc, nullo remediorum apparatu in transversum acta, optime methodum monstrabit, qua morbus sit expellendus. Hinc ruri in corporibus robustis, alieno stimulo alienave infirmitate peculiari raro adfectis, vitae generi simpliciori assuetis, ipsae vires naturae medicatrices solvendo morbo pares sunt et crises spontaneae de morbi natura medicum edocebunt.

b) Omnia sedulo observanda sunt,

(h) Ratio medendi. P. II. pag. 69.

quae ingruente hoc morbo aegris aut praesidio sunt, aut detrimento, ut illico prioribus adhibitis aptam medicinam facias. Plurimum sane ad perficiendum hoc studium frequens confert nosocomiorum visitatio atque mutua medicorum amicitia, quae tamen, uti fratrum concordia, proh dolor! est rarissima.

c) In determinanda constitutione stationaria plerumque respicere oportet febrem quandam simplicem eamque continuam. Hanc pro formanda genii stationarii notione accipimus. Sic regnante constitutione inflammatoria etiam catarrhi, febres biliosae etc. ad levem febris synochicae gradum pronae reperiuntur. Morborum enim intercurrentium sporadicorum, quin ipsorum epidemicorum, genius stationarius vix non semper est satelles.

d) Denique analogia genii praesentis, quoad phaenomena et

decursum; cum quovis antecedente olim iam observato, in definienda ejus natura aliquantum juvabit.

Si causas forte quaereres constitutionem generalem per plures saepe annos obtinentem, quaestionem hanc esse lubenter fatemur, cujus solutio nondum habetur. Genium enim stationarium a manifestis aëris qualitatibus non produci, exinde patet, quod anni, quoad manifestam aëris conditionem sibi omnino consentientes, dispari admodum morborum agmine infestentur et vice versa. Ita enim res se habet. Varias sunt nempe annorum constitutiones, quae neque calori, neque frigori, nec sicco humidove aëri, ortum suum debent; sed ab occulta potius et inexplicabili quadam alteratione in ipsis terrae visceribus pendent, unde aër ea ratione mutatur, quae corpora humana huic aut illi morbo addicunt et determinant; stante scilicet praefatae constitutionis praedominio, quae exacto demum aliquot annorum curriculo facessit atque alteri locum cedit.

2) Neque minus medicus ad vitae genus atque quaestum aegri respiciat. Quanti quaestus faciat ad procreandas causas singulares, quantique harum notio genuina et tempestiva momenti sit in morbis feliciter judicandis et curandis, is medicorum rectius tantum intelliget, qui lectos inter opificum artificumque bene versatus est. Nonnulla videlicet quaestus generasitum corporis singularem eumque constantem exigunt, quo partes organismi singulae premuntur, expanduntur aut alia ratione infestantur, quibus denique injuriis tum debilitas topica, tum impeditus humorum circulus, tum congestiones topicae aliave causae praedisponentes et remotae in locis ita adfectis oriuntur; nedum, ut exclusiva partium nonnullarum incitatione aliae non exercitatae debilitatem induant torpidam, quo aequilibrio virium plane ablato turba phaenomenorum sibi invicem contradicentium exurgat necesse est et diagnosis naturae causarumque morbi quam maxime fiat ambigua. Ponamus, ut cerdo

alutarius (Weisgärber), de pressione constante in praecordiis atque nausea queretur. Medicus, qui causas ignorat e quaestu redundantes, sordium praesentiam suspicaturus emeticum dabit, in summam aegroti perniciem; quippe qui incienti ventriculi scirrhus est adgressus, e pressura perpetua varae alutariae in regionem praecordiorum. Non minus locus, quo quaestus exerceri debet, ortui causarum morbi singularium ansam praebet. Sic officinae coriariorum, quae fluminibus adjacent, humido aëre eoque foetido semper sunt impletae, quo cutis peripherici pulmonumque functiones hostiliter infestantur; sic metallici totam ferè vitam in fodinis degunt, in quibus tum solis luce carent, tum aërem vaporibus pestiferis imbutum hauriunt, atque iis potissimum morbis sunt obnoxii, qui ex aëris puri luminisque inopia proficiscuntur. Denique materia elaboranda ipsa causis singularibus, singularibusque morborum formis ansam praebet. Sic tum operarii in fodinis, quae argentum vivum foenerant, tum fabri

aurarii, tum opifices, qui in fabrica speculativa argentum vivum vitro inducunt, tremore membrorum debilitateque nervorum saepius corripuntur, quibus medendis aut nunquam par eris, aut mala haec post tot tentamina inania devinces, nisi memineris, veram vexationum harum causam vaporibus metallico-mercurialibus inesse, quibus opificum corpus imbutum est. Sic asthma, cui lapidas, pistores, molitores, concinnatoresque capillorum prae aliis sunt obnoxii, e nulla frequentius causa oritur, ac e glandularum bronchialium pulmonaliumque obstructione, quas pulvis circumvolans farinae lapidumve intravit. Quin! imo, quod forte mireris, quaestus in ipsam mentem inque affectus animi et pathemata vim suam potentem exercent. Opifices, qui vitam sedentariam degunt, quorumque negotium vires corporis non exercet, temperatura incitabilitatis nimis adaucta, seu debilitate, ut ajunt, irritabili vexantur; cum digestionem torpida languet pariter et animus eorum, timidi sunt atque instabiles, sollicitudine

atque cura victus facillime deprimuntur. Lanio e contra fortis est corpore et animo, audax, quin crudelis et immisericors, quam ob rem leges anglicae laniones ab iudicio nationi huic proprio, quod „Jury“ dicunt, prorsus arcent.

Non aliter res se habet cum vivendi ratione, quippe quae in pathogenia morborum rite dijudicanda multum valet. Aliae enim morborum causae in illis oriuntur, qui vitam sedentariam degunt, ac in istis, qui quemlibet diem laboribus indefessi explent. Aliis morborum causis ebriosus est obnoxius, quam qui auream diligit temperantiam; aliis, qui non nisi carne aut piscibus vescitur, quam cuius tantum mensam tenuem obsonia premunt.

3) Ad consuetudines nocentes medicus respiciat. Asserunt medicorum plures eosque inter nominis gloria insignes, naturam humanam rebus quam maxime nocentibus, quin venenis ipsis longo usu et dosi sensim sensimque adaucta ita adsuesci posse, ut nullam amplius efficaciam,

nedum destruentem, edant. Quam quidem opinionem non sine exceptione valere, nec omni esse liberatam dubitatione, palam profitemur. Nec tantum abest, quin dubia nostra experientia probarentur. Cl. Balk, praeceptor venerandus, virum vidit, per decem et quod excucurrit annos, ophthalmia chronica continua, cum lippitudine conjuncta, laborantem, quae contra methodos medendi exquisitissimas rebellis fuit nec non in incipientem corneae iam abiit obnebulationem. Causas omnes inquirens ad hunc morbum facientes, quae vita aegri ante acta forte praeberet, potissimum vero ea examinans, quae non longe ante ortum mali chronici erant praegressa, quaeque aegrotus facere aut vitare consueverat, medicus laudatus demum expertus est, ut ophthalmia non longe post oriretur, cum aeger, commoditati suae studens, capillos densos sibi detondi curavit et capillamento utebatur; nec ab hoc amplius tempore, ut olim illi moris erat, caput aqua frigida lavavit, quod derasis capillis vereretur, ne detri-

menti ex hac lotura caperet. Cl. Balk, statim capillamenti usum prohibens, remedium nullum aliud, nisi aquam ophthalmicam e granis paucis Vitrioli albi in aqua destillata simplici solutis praescripsit, commendata denuo quotidiana capitis lotura initio tepida, sensim vero frigidiori. Simplicissima hac methodo morbus intra trium mensium spatium omnino evanuit, contra quem antea omnem materiae medicae fere apparatus incassum medici tentavere. Idem praeceptor mihi carissimus alterum mecum communicavit casum. Vir quidam nobilis, praedium paternum cum alio commutans, paulo post novum intraverat domicilium; de somno perquam interrupto querebatur, qui denique in vigilias fere perpetuas transiit. Ceterum optime valuit, nec ulla insomniae causa potuit erui. Refrigerantia, enemata, deobstruentia, laxantia, sedativa, quin narcotica validissima morbo non fuerunt paria, donec cubiculum dormitorium, quod in domo nova amplum erat et versus orientem positum, cum humili et subob-

sкуро, consueto simili, commutavit; quo facto ut antea dormire coepit.

Tales consuetudines ut rite eruantur, tum ingenii acie et circumspectione indefessa medico opus est, tum familiaritate arctiori et longiori cum aegrotante.

4) *Respiciat medicus, suadeo, ad dispositionem haereditariam.* Nos quidem non fugit, fuisse scriptores et esse, qui argumentis speciosis atque insulsis demonstrare periclitati sunt, ideam morborum e haereditate redundantium non esse, nisi propugnaculum ignorantiae medicorum, quo incitiam suam morborum causas detegendi atque tollendi abscondere conantur, quos inter cl. Medicus (i) primum tenet locum. Haec contra argumenta ponderis sunt gravioris et profecto invincibilia, quibus Unzer (k) et alii (l) existentiam morbo-

(i) Samml. von Beobachtung. aus d. A. W. II. Bd. 2. Brief.

(k) Der Arzt. 2. Aufl. 53 u. 169. Stück.

(l) Davids Diss. de affectib. haereditariis. Leid. 1793. Rougemont Abhandl. üb. die erblich. Krankh. Frankfurt. 1794.

nus certum est, ut germen morbi haereditarii, accedente stimulo pathologico alio, facillime excitatur et evolvatur. Praemissis quibus omnibus solis luce clarius elucescet, quanti faciat morbi haereditarii aut opportunitatis congenitae notio ad methodum medendi aptam eligendam, qua morbus praesens feliciter debelletur; imo quanti iam notio haec ponderis sit, in dijudicatione naturae morbi non fallaci.

5) Ad functiones tum primitive laesas, tum per totum morbi decursum vitiatas medicus respiciat. E functione primum laesa, non sedem solum morbi apte dignosces (quod tanti ponderis est in auxiliis artis topicis), cum primus nimirum causae proximae impetus idemque nondum fractus in ipso morbi organo natali adparet; sed ad naturam causae eruendam via te ducet eadem, qualem, ut constat, circa notionem omnis medelae rationalis atque fructiferae cardo versatur. Legem enim habeto naturae, multa et genuina elicita experientia: quamlibet causam

morbi praeter mechanice laedentem ad organa peculiariter dirigi, quae aut ceteris omnibus exceptis, aut longe saltem praeceteris impetu hujus incitamenti infestantur hostili. Quod certe phaenomenon mirabile, si e legibus chemicis explicandum esse recuses, in omne tibi tempus inenodabile manebit. Pathologia generalis, sana ratione duce condita atque observationibus omnium temporum omniumque gentium diligentissimis superstructa, fons est, e quo notio medici promanat—quaenam in organa qualibet morborum causa potissimum operatur, quae aegritudinum formae prae aliis ex ea egerminant, quae functiones ea laeduntur graviores in modum et quomodo? Lubens equidem fateor, non omnibus medicis tiro-nibus hanc notionum summam semper esse promptam; qui vero ea destituti sunt, ut, quae illis desunt, adipiscantur viribus omnibus allaborent suadeo, cum vera morborum diagnosis, aetiologia et medendi ratio hac solum e facultate redundat.

Phaenomena enim morbi essentialia

ulla sine exceptione e ratione solum sensationis ingratae, qua organon prae aliis laesum adficitur, e modo reactionis hujus organi, denique e ratione, qua functiones huic organo propriae vitiatae adparent, cognoscuntur. Neque alia in phaenomena morbi pathognomonica jure numeres, quam quae statim post primum morbi initium exsurgunt, totum ejus decursum constanter comitantur, nec ulla nisi forte gradus ratione mutantur. Cum enim causae proximae ipsius sunt effectus, cum ea tantum evanescent necesse est.

6) Adjuvantia aequae ac nocentia medicus respiciat. Ab antiquissimam medicinae temporibus ad hodiernum usque medici sagacissimi hoc artis auxilio in tali rerum angustia usi sunt, in qua natura morbi scrutantis judicio omnino latet. Ne vero agyrtarum empiricorumque contemendorumque methodum sequi velle videaris, quae facies pericula judicio et divinationi rationali de verisimili saltem morbi na-

tura superstructa sint, volo. Natura enim dea cum grano salis quaerenti solum respondebit; rudi autem prorsusque imperito oracula matris almae aenigmata manebunt in sempiternum.

Quodsi tamen et istud auxilii genus medico omnino esset denegatum, tunc — ut Stollii verbis utar — officio suo optime fungitur, qui, cum prodesse nequit, saltem non nocet. Diaetam modo praescribat convenientem, qua, testantibus artis medicae principibus, tot morbi atrocissimi et quam maxime absconditi natura favente sanati sunt.

Theses.

I.

Ars medica nititur experientia et observatione et his imprimis ad majorem perfectionis gradum evehi potest.

II.

Theoria experientiae non vero experientia theoriae est accommodanda.

III.

Opium vim specificam in lue venerea nullam exercet, sed symptomatibus modo quibusdam tollendis par est.

IV.

Amputatio membri gangraenosi majoris inutilis est et nocet.

V.

Congestiones, quae activae dicuntur, non nisi gradu ab inflammationibus differre videntur.

VI.

Febres malignae non propriam constituunt classem.
